No 211
a

Zur
Schnaase'schen Kirchbibliothek
in Danzig

31

23634 II

Hist. 3278

K. B.
No 103

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.

1. Accurate Nachricht von der Russisch u. sächsischen Belager- u. Bombardirung der Stadt Dantzig. Cöln 1735 [autorzy: Georg Daniel Seyler i Peter Georg Schultz]
2. Aufrichtige Erzählung wie es mit der Wahl Stanislaus Leszczyński und Friderici Augusti zugegangen. [1735]
3. Pacta conventa zwischen ... Stanislao I ... und den Ständen der Republique Pohlen. Dantzig 1733
4. [Stanislaus Leszczyński, Poloniae Rex] Lettre du Roy ... à un de ses amis, contenant les veritables circonstances de sa retraite de Danzig. 1734.
5. Brieff eines Pasten, in welchem die Schrifft ... Respons Anonymi do pewnego Przyjaciela w Gdańsku będącego ... wiederleget. [1735]
6. Der andere Brieff eines Pasten, in welchem die Schrifft ... Respons na manifest Xiążęcia Jmci Prymasa ... wiederleget wird [1735]
7. Send-Schreiben eines Polnischen von Adel an einen ... Freund v. d. a. 1733 ... Kgl. Polnischen Wahl ... [1735]
8. Einmüthiger Schluss ... welchen die ... aus dem Senatoren- und Ritter-Stande zur Seite geordnete ... Räthe am 10 Febr. 1734 in Dantzig beliebet haben. [1735]

9. Confoederation der Sandomirschen Woyewodschafft, vor die Vertheidigung des cathol. Glaubens, der freyen Wahl u. der Kgl. Würde Stanislai I. ... [1735]

10. Sentiment der polnischen Nation ... dem russ. u. cosack. Geschlechte zur Ueberlegung communiciret ... [1735]

11. Fides indubitata omnium Ordinum Regni ad Kamion, nam probata. Electionem ... Electoris Saxoniae ... factam. [1733]

12. Fides indubitata contra Fidem ad Kamionnam ... in licentiosam Elect. Sax. pro Rege Pol. seductionem post religiosam Stanislai I ... proclamationem ... [1733]

13. De prospera Regis Poloniae a. 1733 electione Equitis Poloni ad amicum confidentem epistola ... [1735]

14. Copia litterarum cuiusdam Equitis Poloni ad ... Electorem Saxoniae ... [1735]

15. Apologia malitiose vexati honoris Primatis Regni ... per literas Principis Eugenii ad Vesirium ... [1735]

16. Rede der Deputirten der Stadt Dantzig ... an I. Russische Kays. M. ... Dantzig 1734.

17. Bewegungs-Gründe der Kgl. Entschliessungen oder gründ, liches Verzeichnis der Ursachen welche I. K. M. von Franck, reich zu den Waffen zu greiffen bewegen --- [1735]

18. [Stanislaus I Leszczyński, Poloniae Rex] Der wahre Glück- und Unglücks-Spiegel des Königes --- [1734]

19. Kurtze Relation von der Kroehnung Stanislai I -- und dessen Gemahlin -- in Warschau -- am 4 Oct. 1705. -- 1733.

20. Die innigste Freude der Stadt Dantzig und deren Ein, wohner über die hohe Gegenwart Stanislai I -- Dantzig 1733.

21. An dem hohen Geburths-Licht Stanislai I -- durch einen -- Prologum -- sich praesentiren -- anwesende Trou, pe hochteutscher Comoedianten --- [1733]

22. Copia der Kriegs-Declaration des Königs von Franck, reich wider den Kayser von 10. Oct. 1733. --- 1733.

23. Engelcke Jakob, Das auf der Goetter-Assemblee wohl-ausgesprochene Lob- und Ehren-Urtheil über die -- Kauf- und Handels-Männer --- in Dantzig. Dantzig 1734

24. Lengnich Gottfried, Augusti Optimi Regis Poloniae ... d. 1. Febr. saluti publicae erepti memoriam Urbis

Senatus d. 5. Mart. -- oratione celebrare iussit -- [1733]

25. Lengnich Gottfried, Augusti II Regis Poloniae ... indulgentiam Senatus iussu oratione celebravit ... Gedani [1733].



21.
25

AUGUSTI SECUNDI

REGIS POLONIÆ
MAGNI DUCIS LITVANIÆ
RUSSIÆ PRUSSIÆ ALIARUMq;
REGNO JUNCTARUM PROVINCIARUM DOMINI
DVCIS SAXONIÆ S. R. IMPERII
NOVEMVIRI ET ARCHI-MARESCHALLI

INDULGENTIAM

SENATUS JUSSU

ORATIONE

CELEBRAVIT

GODOFREDUS LENGNICH D.
ELOQV. ET POES. PROF. PUBL.

GEDANI, Typis THOMÆ JOHANNIS SCHREIBERI,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

C. R. BIBLIOTHec.
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

VIRIS
PERMAGNIFICIS MAGNIFICIS GENEROSIS AMPLISSIMIS
PRÆSIDI CONSULIBUS SENATORIBUS SYNDICO

DE GEDANO IMMORTALITER MERITIS

S.

Veretur, *Patres*, VESTRA in defunctum AUGUSTUM Pietas, ad Poſteritatem transmitti, qvo cum plurima alia, tum bonos Principes & poſt mortem colere, VESTRO exemplo diſcat. Egi mentis VESTRÆ interpretem, & dixiſſetis eadem, ſed facundius, ſi VESTRUM potius eſſet, bene dicere, qvam ſapienter regere. Conſtat enim inter omnes, qvantus in VESTRIS pectoribus ſit AUGUSTUS SECUNDUS,

ut

ut nulla a VOBIS venerantium officia omiſſa, ut, cum pro immortalibus beneficiis, gratia digna referri haud poſſet, habita tamen ſumma, ideo duratura, qvod non metus expreſſit, ſed amor perſvaſit. Non tamen ſola cultus cauſa *Princeps* extitit, magnæ ILLIUS virtutes perpetua fuere norma, ad qvam VESTRÆ civitatis regimen inſtitueretis. ILLE Indulgentiſſimus; VOS caritate in Patriam nulli ceditis magiſtratui. ILLIUS Providentia Regnum & Paternas Provincias auguſtiores effecit; VESTRA in eo cura, ut urbem & difficillimis temporibus flerentiorem

rem redderetis. ILLE, qvod in uno rarum, litteras fovit, rem militarem ordinavit, & commerciis ad summum provectis, cives insigniter locupletavit; eadem VESTRA solicitudo, ut studia vigeant, ut militari præsidio firmata securitas, & negotiatores sua industria suo labore fruantur lætenturq́;: & essetis illustri sane documento, posse *Optimum Princepem*, solo exemplo bonos reddere magistratus, nisi natura Vobis insitum, publicam rem ex utilitate omnium curare & augere. Nec aliis artibus VESTRI Majores urbem hanc ex tenui initio, ad tantum fastigium,

gium, qvantum civitates, ſuis ſaltem opibus adjutæ, capere aut ſperare posſunt, extulerunt, ut, dum ingenuas artes, dum res bello geſtas, & acerrime defenſam libertatem, dum remotisſimas mutuis commeatibus junctas Terras cogitamus, unum *Gedanum*, *Athenas*, *Spartam*, *Tyrum* continere videatur. VESTRAE, poſt **DEUM**, *Patres*, debetur vigilantiæ, qvod illa gloria inter tot ſæculi noſtri injurias, ſteterit inconcuſſa. Servabit VOBIS Summum **NVMEN** hunc in *Patriam* animum, qvem dedit, immotumqve jubebit bene merendi ſtudium, qvo Vos,

pe-

perenni felicitate, omnium bonorum affluentia, & ipsa immortalitate evasistis dignissimi. Liceat tamen & aliqvam mei mentionem adiicere. Sunt anni plurimi, ex qvo ad singularem VESTRAM curam pertineo, expertusqve sæpius cum gratiam tum liberalitatem VESTRAM, ut non unum alterumqve, sed seriem aliqvam beneficiorum memorare possim. Qvid aliud habeo a DEO precari, qvam ut ille VESTER favor, ad vitæ finem duret, ut, qvi jam nullius culpæ conscius, sic sub VESTRIS oculis res meas perpetuo agam, qvo aliqvando posteritas, cujus judicium qvotidie, sine formidine cogito, me *Tanto Senatu*, *Tantis Patronis*, non plane indignum fuisse civem ac clientem, censeat.

24

AUGUSTI OPTIMI

REGIS POLONIÆ
MAGNI DUCIS LITUANIÆ PRUSSIÆ ALIARUMQUE REGNO JUNCTARUM PROVINCIARUM
DOMINI
DUCIS SAXONIÆ S. R. IMPERII NOVEMVIRI ET ARCHI-MARESCHALLI
DOMINI QUONDAM INDULGENTISSIMI
D. 1. FEBRUARII SALUTI PUBLICÆ EREPTI

MEMORIAM

[Gdańsk, T. J. Schreiber]

URBIS SENATUS

D. V. MARTII

IN

AUDITORIO ATHENÆI MAXIMO

ORATIONE

CELEBRARI JUSSIT

AD QVAM AUDIENDAM

MÆCENATES PATRONOS FAUTORES

SUO QVEMQVE ORDINE ET LOCO DEBITE DECENTERQVE COLENDOS

QVA PAR EST

REVERENTIA CULTU STUDIO

INVITAT

SIMVL CIVES ATHENÆI

IN COMMUNEM LUCTUM CONVOCAT

GODOFR. LENGNICH, D.

ELOQV. ET POES. PROF. PUBL.

Qvartus adhuc currit annus, ex qvo publice AUGUSTO precatus, ut perpetua vita digniſſimus *Princeps*, per tantum temporis ſpatium rebus noſtris præeſſet, qvo ex ſumma ſenectute *longævus* a poſteris diceretur. Videbatur *Deus* pio pro Publica Salute voto annuiſſe, cum illi qvi ſuis oculis *Principem* viderant, qvi Campeſtribus *Ejus* meditationibus, binis illis belli ſpectaculis, per ludum, ſed ſumma magnificentia, editis, interfuerant, uno ore referrent, non valere tantum, ſed reviresceře, &, qvod poſt ſexaginta annos rarum, corpus nova carne veſtiri. Tum felicitatem noſtram in longum proferebamus, & futurorum ſecuri, præſentibus fruebamur. Injiciebat qvidem animis noſtris ſolicitudinem rumor, ſerpere per Poloniam clandeſtina diſſidia, mox in apertum proruptura, nec vanum eſſe inde colligebamus, qvod Comitia re omni infecta, animis exacerbatis, inter minas diffluerent. Sed curam hanc eximebant lætiora poſtremi Con-

ventus initia, *Ordinis Eqvestris Præside* feliciter delecto: qvem nuntium mox alius, sed longe tristissimus seqvebatur, *Regem* in Palatio ad Varsaviam, d. 1. Februar. extinctum. Erat. VI. illius mensis, media fere vespera, cum fama urbem nostram pervagaretur, ac luctu qvasi domestico compleret, ut videretur non Princeps, sed cognatus, & familiaris arctius junctus a singulis plangi, imo illi ipsi, qvi jacturam minus intelligebant, lamentabantur tamen, qvod olim ab aliis acceperant, *Regis* obitum allaturum paci, & bonis qvæ paci debentur, finem, secuturumqve Interregnum turbulentius.

Qvi tamen dolorem ex illius causa metiebantur, mortem tanti *Regis* & *Domini* tam benignissimi, non satis defleri posse secum statuebant. Repetebant enim illa bona, qvibus AUGUSTO Imperante floruit Polonia: pacem, ex qvo ferale illud bellum, fato potius, qvam humano consilio excitatum, consedit, perpetuam; motus intestinos Principis lenitate statim sedatos; Regnum ad splen-

ſplendorem exſurgens; melius ordinatam Rempublicam; redactos ad juſtum numerum certasqve leges exercitus; proviſa in ſtatos dies ſtipendia: addebant cæleſtes AUGUSTI virtutes, animum utraqve fortuna immotum, magnificentiam, liberalitatem, clementiam, humani ſangvinis abſtinentiam, & plures, qvæ ſi in aliis ſingulæ, in nullo junctæ deprehenduntur. Fiebat temporum collatio, qvibus ſuſceperat inperium & poſuerat. JOHANNES III. enim, utiqve inter laudatiſſimos Reges referendus, Procerum diſcordiam neqve prævertere, neqve componere valuit: qvæ ut ipſo vivente, exarſerat, ſic poſt mortem in belli inteſtini flammam, erumpebat, non una clade Litvaniam miſere affligentem. Miles retenta ſibi aliqvot annorum ſtipendia ſæpius flagitaverat, & cum precibus nil profeciſſet, fœdere inter ſe facto, orbæ Reipublicæ tributa imperabat. His externum accedebat bellum, qvod cum Turcis ante aliqvot annos cœptum durabat. Is Regni ſtatus, cum AUGUSTUS gubernaculis admoveretur,

 qvod

qvod pacatum undiqve Reipublicæ, a qva tot turbis agitatum receperat, reddit, dum mortalitate exsolvitur: ut si non aliud præter hoc, cum innumera tamen sint, contulisset beneficium, æternam memoriam mereatur. Uti autem in oceano malacia, perpetuo infida, sic bonos qvi ex præteritis futura provident, ipsa hæc publica tranqvillitas anxios reddit, qvæ si & ad *Successorem* duret, non ideo tamen metu liberantur, qvod, dum *dignissimum* optant, qvalis futurus, ancipites expectant.

His causis movebantur, qvi non ad aliorum exemplum, sed cum ratione AUGUSTI obitum dolebant, neqve aliis *Urbis Senatus* perturbatur. Nam cum *Ille*, veluti in specula constitutus, pro nostra fortuna excubat, propius *Eundem* publicæ calamitates tangunt. Non poterat sine lacrymis *Consul* de *Principis* exitu referre, & qvi audiebant, vultu & sermone mœrorem proferebant. Indictum statim justitium, qvod qvidem ex more veteri, sed & sine exemplo indictum fuisset, imo populus, ut Romani olim post Germanici

nici necem, ultro sumsisset. Id constat, nullius *Principis* mortem tam alte in omnium animos penetrasse, nec ullum ea fide fuisse comploratum. Qvo tamen in publico hoc luctu, & *Athenæum* sui doloris signa ederet, *Senatus* auctoritate, mihi injunctum, d. V. Martii, laudationem *Optimi Regis* peragere. Poterat id muneris eloqventiori demandari, poterat & majori arte instructo, at cui major in *Defunctum* pietas, nulli. Legi primum AUGUSTUM, post miratus, dein colui, jam defleo semperqve deflebo. Non Majestatem Ejus, non Purpuram suspexi, sed facta, sed virtutes, & coluissem privatum, si iis fuisset conspicuus, qvibus *Princeps* effulsit. Sicuti autem pictor, in exigua tabella, omnes ab AUGUSTO gestas res, actaqve egregie, descripturus, singula minutissimis punctis humanum oculum fugientibus, notaret: ita si totum AUGUSTUM uno sermone comprehendere vellem, qvævis in pulverem redigenda forent, nisi spissius volumen recitare animus esset. Ideo ex cæteris, qvibus AUGU-

STUS

STUS conſtat, unam mihi deſumſi *Indulgentiam*, qvam tamen non toto ſuo ambitu, qvod latisſime patet, ſed qvæ in divina illa virtute exſtantiora, memorabo.

Ad audiendum, non facundum qvidem, afflictum tamen, & ad temporis necesſitatem compoſitum Oratorem, *Urbis Senatum*, *Magiſtratus*, *Eruditos* qvosvis, & ſi qvi *Exteræ dignationis* concionem ſplendidiorem reddere voluerint, qvo decet cultu & ſtudio, invito. Erit inſigne in *defunctum Principem* pietatis documentum, ideo confluere, ideo audire, qvod de AUGUSTO verba fiunt.

Vos autem Athenæi cives, qvos olim, cum Trajanum a Plinio deſcriptum legerem, AUGUSTUM venerari, *Optimum Principem*, Optimo Trajano præferre docui, qvibus modo res, moderante AUGUSTO, in Polonia geſtas, explico, adeſte freqventes. Æmulamini Doctorem veſtrum, & facie cultuqve animi mœrorem oſtendite. AUGUSTUM amiſiſtis, *Cui* parem non videbitis, nec viſura poſteritas. P. P. Dominica Reminiſcere, anni MDCCXXXIII.

AUGUSTI SECUNDI LAUDATIO.

REGIE BURGGRAVIE
ILLUSTRIS.
CONSULES
URBIS SENATORES
PERMAGNIFICI, MAGNIFICI,
GENEROSI, AMPLISSIMI.
HOSPITES EXTERNA DIGNITATE ILLUSTRES.
VIRI
SUMME REVERENDE, NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, PLURIMUM REVERENDI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI
SPECTATISSIMI.

MÆCENATES, PATRONI, FAUTORES, COLLEGÆ.

UT PAR EST, VENERANDI, COLENDI, ET OMNI OFFICIORUM GENERE PROSEQVENDI.

TU DENIq; IN COMMUNEM LUCTUM ADVOCATA STUDIOSÆ JUVENTUTIS CORONA ÆTATIS FLOS, PATRIÆ SPES, TUORUM ET NOSTRÆ DELITIÆ.

Peractis in laboriosa & exercita *statione* annis triginta quinque; reddita foris pace; firmata domi concordia; assertis legibus; exercitibus ordinatis; publica felicitate ad summum perducta: immortalitatem, quam virtute & ingentibus factis meruit, repetit AUGUSTUS. Regnum,

tot

tot tantæque Regno junctæ Provinciæ, omnes qvos late diffusum *Poloni* orbis spatium continet cives, attoniti & defixi, qvi qvando per stuporem sentire vulnus conceditur, ereptum *Optimum Principem*, amissum communem *Parentem*, sublatam salutis suæ *fiduciam*, uno ore lamentantur. O fallaces Spes nostras! O vota inania, & eversam plane expectationem! Non qvidem nos fugiebat, currere *Regi* annum sexagesimum tertium, & ad finem vergere; neqve ignari, paucis mortalium id ætatis contingere, & ex Imperantibus vix uni & alteri: at cum cogitaremus compactum & robustum *Principis* corpus; receptas post ultimam illam valetudinem, qvæ mortem minitabatur, vires, imo auctas; eundem qvi olim mentis vigorem: finem longe abesse læti sperabamus. Et cur non angu-

ſtias, qvibus mortalitas coërcetur, excederet, *Qvi* humanam conditionem virtutibus, & *Imperantes* meritis dudum fuerat ſupergreſſus? Neqve in aliud, anni initio vota noſtra conferebamus, cum eſſet illorum ſumma, vita & incolumitas AUGUSTI. Id publice, id privatim; id nobis, id poſteris precabamur; qvod *Parens* noſter non uni ſæculo, ſed pluribus natus videbatur, & ſic diligebamus Patriam, ut felicitatem, cum perpetua eſſe non poſſet, qvam longisſimam optaremus. Excipiebat vota noſtra *Principis* ex *Saxonia* profectio: mox nuntii, feſtinare Eundem in Poloniam; jam prope Varſaviam veniſſe; cœpta Regni Comitia; delectum, in qva re aliqvoties ſumma ope, fruſtra laboratum fuerat, *Eqveſtris* ordinis *Præſidem*, & felicem publicorum negotiorum eventum colligi. In

hac

hac eramus expectatione, & adfertur, *Regem* ſubſiſtere in Palatio ad Varſaviam; abſtinere publico; minus commode agere; decumbere; intendi morbum; &, qvo funeſtius auditum nihil, exſpiraſſe.

Ideone, AUGUSTISSIME, ex tua *Saxonia* in *Poloniam* properabas, ut citis paſſibus morti occurreres? Ideone *Te* amplexibus & osculis *Filii*, *Nurus*, *Nepotum* ſubtraxiſti, qvo paucioribus lacrymis decederes, nec ultimus *Tui* aſpectus, dulcisſima illa *Pignora* turbaret affligeretqve? Hæcne Comitiorum fuit cauſa? ut adſtante omni *Polonia* poneres Imperium, qvod *Eadem* ſpectante olim ſusceperas; ut Cives, qvi cæteras *Tuas* divinas virtutes ſuſpexerant, jam ex *Te* diſcerent, qvo animo e vita exeundum; ut coram intueren-

tuerentur, *dexteram* illam, qvæ per tot annos Reipublicæ gubernacula ſapientiſſime rexit, qvæ ferrum pro Publica ſalute, pro libertate Patriæ, pro omnium fortunis toties ſtrinxit, qvæ *Regias* opes in liberalitatem & beneficentiam nullo antea exemplo effudit, noviſſima jam luce oculos *Tibi Ipſi* claudere; ut deniqve conſtaret, *Te*, *Qvi* Solus Imperii curis ſuffeceras, & ſine alieno miniſterio mori poſſe.

Sed qvo me raperes dolor, ſi in triſti morientis *Regis* imagine detinerer, & qvam parum efficerem, qvod ut fieret, publica auctoritate mihi injunctum eſt! Juſſit enim *Senatus*, qvo in *Reges* ſuos & poſt mortem cultu fertur, non flere ex hoc loco, ſed verba facere; non morti, ſed divinis *Optimi Principis*

cipis

cipis factis immorari; non lacrymis ſed juſta laudatione AUGUSTUM proſeqvi; non ipſam jacturam, ſed gravisſimæ jacturæ cauſas memorare; denique oſtendere, qvalis in hac *Polonæ Reipublicæ* orbitate, a *Summo Numine* expetendus *Succeſſor.* Sentio onus, & immenſa mole obruor, qvando ad numeroſam AUGUSTI gloriam intendo animum. Offerunt enim ſe ſe præter res toga belloqve geſtas, qvarum copia & varietas vix cogitatione capi poſſunt, genus vetuſtisſimum & ſummum; oris cum humanitate dignitas; inceſſus habitusq́; corporis Principem oſtentans; robur incredibile; validior tamen illo animus & nulla fortuna fractus; divina mentis vis; clementia ſingularis; indulgentia plusqvam paterna; ſcientiæ militares; regnandi artes; & multa alia, qvæ neqve una

dies, neqve unus ſermo enarrare, neqve eadem ſerie, ſine intervallis, audiri poſſunt. Ignoſcite ergo, *Patres Conſcripti*, qvod hodie non totum AUGUSTUM, qvantus in mortalitate fuit, ſiſto, ſed ex innumeris *Ejus* virtutibus, unam tantum deligo, qvæ tamen tanta eſt, ut, ſi in aliis occurrit, ſola conſummatisſimos reddere valeat. *Indulgentiam* PARENTIS noſtri intelligo, qva ſic eminuit, ut cum parem haberet neminem, omnes longe ſuperaret; qva non *Polonorum* & *Saxonum*, ſed orbis regimen, ſi uni aliqvando ſubeſſet, meruit; qva non latius in corpora noſtra, qvam in animos imperium exercuit, ac effecit, ut extincta Majeſtate, in pectoribus noſtris colatur ſuſpiciaturqve. Per illas lacrymas, per illum dolorem, qvo proſecuti eſtis *Patres* acerbum AUGUSTI

obi-

obitum, per illam, qva ſanctam ejus memoriam reveremini, pietatem, oro & obteſtor, audite dicturum benigne, & cum illam gratiam nullus mereor, date hanc facilitatem *Principis* lenitati, qva *Vos* complexus, ornavit, extulit. *Cæteri* qvotqvot huc confluxiſtis, pro ſua qvisqve dignitate & conditione *obſervandi*, *honorandi*, ſeqvimini *Senatus* exemplum: erit inſigne ſummi in *Principem* affectus experimentum, audiri a *Vobis* hominem attente, cui non alia ineſt eloqventia, qvam qvod de AUGUSTO orationem inſtituit.

Soleo P. C. *cæteri Auditores*, *O. O. H.* humanam ſortem deplorare, qvando Imperia & Illorum qvi eadem adminiſtrant, infinitam poteſtatem mecum expendo. Video enim tot millia *Unius* libidini ſervire; in-

numeræ multitudinis felicitatem & miſerias, ex *Unius* nutu pendere; vitam, famam, familiam, fortunas, *Unius* arbitrio ſubeſſe; deleri integros exercitus, exſcindi urbes, igne & ferro regiones vaſtari, incolas ad ultimam egeſtatem redigi, orbem miſceri, ut ille *Unus* olim Bellator, Heros, Gentium Victor, Magnus, audiat & celebretur. Tum mihi genus humanum, paucis ſaltem exceptis, veluti aliqvam piacularem victimam ob oculos pono, ideo ratione inſtructam, ut ſuam infelicitatem magis ſentiat, & qvæ, cum ſine imperio eſſe vix poſſit, ſub imperio non niſi miſeria eſſe debeat. Ubi tamen diſtractam mentem colligo, non ab Imperio, ſed *Iis* qvi præſunt, non a Principatu, ſed *Principibus*, qvi poteſtate ſua male utuntur, hanc calamitatem repetendam deprehendo: potius

tius qvæ inter cives ſunt ſocietates, veluti late diffuſam familiam mihi formo, in qva *Summus Imperans* patrem, *Eidem* ſubjecti liberos referant: ut idem *Principum* qvod *Patrum* munus, cives ſervare, protegere, & qvam beatisſimos reddere. Nec alii ipſi *Regnantes* videri volunt, ſeqvunturqve naturam, dum *Patres* credi ambitioſe contendunt, illud nomen cæteris, qvæ vel ſuperbia, vel adulatio indidit, præferunt, & publicas ſuas curas, paternas vocitant. *Cæſar Octavianus*, nunqvam tanto gaudio affectus, non ipſa, qva pronum ad Principatum iter, Actiaca victoria, qvantum ſenſit, cum PATER PATRIÆ conſalutaretur. Obortis enim præ lætitia lacrymis, reſpondebat iis qvi titulum deferebant: *Compos factus votorum meorum P. C. qvid habeo aliud DEos immortales precari,*

qvam ut hunc consensum vestrum, ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat. Qvi *Octaviano* successerunt, qvamvis sanctum illud nomen minime promeriti, usurparunt tamen, qvasi sævitia & tyrannis, specioso vocabulo occultari possent, & inde statim PATRES fierent, qvi factis, Principum dedecora, & generis humani pestes fuerunt. Non ullius tanta inter Gallos memoria, qvanta *Ludovici Duodecimi*, nec ex alia ratione, qvam qvod Populi sui Pater & esset & diceretur, cui *Magnus Ludovicus*, cum innumeris suis victoriis, cum omni, qvæ summa fuit, nominis gloria, in animis civium cedere cogitur. Ex Nostris *Johannes Casimirus*, posito jam imperio, sic suam solabatur in Gallia solitudinem, qvod Gentis suæ olim *Parentem* se egisse crederet. AUGUSTO SECUNDO non delatum PA-

TRIS

TRIS nomen, at meruit; non *Ipſe* dici voluit, ſed PATER fuit; & cum a nemine vocaretur, habitus ab omnibus.

Cui *Te Optime* Principum conferam? Qvi olim Paterno affectu cives complexi, Principes erant, cum Patres fieri inciperent. *Tu* nondum *Polonorum Rex* & jam indulgentia illorum *Patrem* agebas. Erat poſt *Johannis III.* finem, triſtisReipublicæ facies, cum Ordines diverſis ſtudiis disſiderent; miles qvod non unius anni ſtipendia fruſtra flagitaverat, obſeqvium exueret; & cum *Turcis* grave bellum ferveret. Non deerant, qvi in publica hac calamitate, ſuis commodis intenti, Regem circumſpiciebant, ſibi modo utilem, Patriæ licet non leve diſcrimen, ut tum qvidem apparebat, allaturum: ut non

nuta-

nutare, ſed ſuis ruinis brevi involvenda videretur *Polonia*. Aderas feſſis rebus, AUGUSTE, & labantem Rempublicam *Tuis* humeris ſuſtinebas, cum tuos exercitus, tuas opes, & qvod cætera longe excedit, *Te Ipſum* ingenti animo offerres. Poteras in amantiſſima *Tui Saxonia*, molli otio frui; poteras cumulatas a Majoribus opes *Tibi* ſervare & augere; poteras minori impendio, labore nullo, Tuas Provincias proferre, & ad *Tui* faſtigii *Hæredes* transmittere: ſed occulta qvædam amoris vis adegit, ut *Te*, Tuam *Domum*, ſpes amplas, ſaluti externæ *Gentis*, lingva, moribus, legibus diverſæ, & fama tantum notæ, memorabili exemplo poſtponeres, & *Eandem* æternis beneficiis obſtringeres, a *Qva* ante nulla receperas.

Hunc

Hunc fructum *Auditores*, nobis peperit, imminens Poloniæ exitium, ut Optimus Princeps contingeret, qvi, nisi Republica in ancipiti, haud contigisset. His artibus paravit sibi Imperium AUGUSTUS, hac via sedem Regiam ascendit, qvam ante ipsum, ingressus nemo. Et dederunt qvidem turbæ Romanis olim *Trajanum*, at nullo *Trajani* impendio, nec alio labore, qvam qvod ultro delatum imperium susciperet. Qvis tamen, nisi illorum temporum acta loqverentur, crederet, incomparabilem illam *Principis* benignitatem, spretam a nonnullis, & malignis sermonibus in suspicionem & invidiam adductam fuisse, imo cum major & potior pars, AUGUSTO jam Electo, insignia Regia solenni pompa tradidisset, pervicax secessionis studium, contra communem Pa-

triæ felicitatem tantum valuisse, ut factio adversus *Majestatem* insurgeret, qvæ blando libertatis juriumqve vocabulo, incautis duram servitutem struere videbatur. *Titus* Cæsar, amor & deliciæ humani generis, suspectissimum qvemqve sibi, haud cunctanter oppressit: qvam diversus ab illo, noster *Amor*, nostræ *Deliciæ* AUGUSTUS! non opprimebat, qvi in *Sui* perniciem, infausto fœdere continebantur, sed in hoc omnis cura, ut salvos *sibi* beneficiis conciliaret, qvos adversos experiebatur: inprimis cum probe sciret, si non omnes, plurimos a scelere immunes, in culpam humani erroris incidisse, & contumaces licet, filios esse non desinere. *Ludovicus undecimus*, Franciæ Rex, aversis Procerum animis in rem suam usus, cum publicatis illorum bonis, fiscum egregie locupletaret.

ret. Tantum aberat, ut AUGUSTUS ex civium fortunis ditesceret, ut potius ex suo largiretur, qvo reduceret, qvi deflexerant. *Cæsar* tamen *Octavianus* opibus & honoribus extulit, qvi in hostium partibus fuerant: sed tum demum, cum ferocissimi per acies & proscriptione cecidissent, & qvi supererant, subeundo servitio essent promti. Non infecit civili sangvine *Parens* noster Regni sui primordia, non qvemqvam exulare jussit, neqve *Majestatis* suæ contemtores, ad servitutem pellexit, sed salvis omnibus & integris, iniqvæ licentiæ legitimam libertatem præferre, pecunia & honoribus persvasit. Non post longa officia, infimis precibus, qvasi redimendæ Præfecturæ & dignitates: AUGUSTUS suis hostibus ultro offert, nec alio nisi Reipublicæ commodo, qvam ex re-

 stituta

ſtituta civium concordia, florentiorem ſperat.

Sæpe tamen Reges non eodem animo gerunt Imperia, qvo ſuſceperunt; ſæpe ſumma moderatio, in immanem ſævitiam exire ſolet, ut & ipſe *Nero*, qvi poſtea omne crudelitatis genus exercuit, regiminis initio, cum capite damnatorum ſuppliciis ſubſcribere deberet, optaverit: *qvam vellem neſcire litteras!* Forte AUGUSTI lenitas ſenſim immutata; forte civium bonis inhiare didicit; forte ſeverior, forte crudelior redditus. Poſſet ſubnaſci metus, ſi non innata, ſed aſſumta tantum & uſu qvodam firmata fuiſſet humanitas: at qvam altis radicibus infixam qvaſi credimus *indulgentiam*, qvam non atrociſſimum bellum, non implacabile hoſtis odium, non civium iteratæ factiones, non a-

cerbis-

cerbissimæ in *Majestatem* injuriæ, sic suo loco movere potuerunt, ut sive de vindicta, sive poena cogitatum fuisset. Id saltem in mitissimo pectore dolorem exulcerabat, cives suam lacerare Patriam, in sua sævire viscera, hostium signa seqvi, robur illorum firmare, contra Principem in acie esse. Nihil omissum, qvo ad se redirent, qvos turbo transversos egerat: adhibitæ iterum iterumqve monitiones vere paternæ, additæ preces, ostensi tristes intestini mali eventus, oblata præteritorum venia: & qvi his non movebantur, tentati qvæ nondum meruerant præmiis, qvibusqve præsentia non sufficiebant, promissa majora. At incassum omnia: incesserat magnam Poloniæ partem, vehementior aliqva vis, qvæ invitos fere in Patriæ ruinam impellebat rapiebatqve.

Sic Indulgentiſſimo Principi, ſervandorum civium, ablata videbatur poteſtas, qvam tamen in ipſo præliorum fervore, inter cædes & ſtrages hoſtium exercuit, ut permixtos Polonos dignoſceret, ac in fidem receptos, ad ſuos lares, dimitteret incolumes. *Julius Cæſar* olim ad milites ſuos: miles parce civibus; Idem tamen: miles feri cives. AUGUSTUS pepercit perpetuo, & ferire juſſit nunqvam.

Venio ad ſummum gloriæ apicem. Adeo jam Hoſti fortuna faverat, adeo ab illis ipſis, qvos acerrime oppugnabat, adjutus fuerat, ut rebus qvaſi ex ſententia confectis, in Saxoniam ſe ſe infunderet, debellaturus ibidem AUGUSTUM, qvem in Polonia qvidem ſemel iterumqve acie vincere, ſed ſuperare haud

haud potuerat. Optaverat jam olim benignissimus *Princeps* pacem, obtuleratqve aliqvoties, at honestam, suo fastigio, suo animo dignam. Hostis negare omnem nisi Regno cederet: in eadem sententia perstare, & extrema minitari Saxoniæ, ni obtineret, qvod iterum pro imperio postulabat. Ardua tum in *Principis* animo contentio, cum *Majestas* & *civium amor* certarent, qvod cives salva *Majestate* servari non poterant, & durum videbatur, *Hanc* alterius arbitrio subjicere. Vicit *amor*, cum *Majestas* vinci vellet, & optimus *Princeps*, Regnum qvod liberrimi Populi suffragiis, suis virtutibus, omnium bonorum votis susceperat, per summam indulgentiam sibi extorqveri passus. AUGUSTE! sæpe qvidem Magnus apparueras, at tum Maximus, cum *Te* supra regnandi libi-

dinem,

dinem, qvam Principes cum vita demum exuunt, efferres, neqve uno, ſed pluribus Regnis dignus videbaris, cum regnare deſineres. Superaverat Hoſtis *Tuam* fortunam, *Tu* hoſtem, imo *Te Ipſum*, ut cum Ille felicior, *Tu* fortior, & eſſes & habereris. Credebaris cogi, ſed *Tu* Victorem adigebas Saxonia exire & ad ſuam cladem feſtinare. Non tamen fugiebas ex Polonia, cum Regno cederes, ſed redimitus *Caliſienſi* laurea in *Saxoniam* redibas, ut de ipſa victoria triumphum duceres. Solus ergo, Victor, Maximus, Patriæ Pater, qvod ſic Cives amaſti, ut victoriam, dignitatem, omnia, illorum incolumitati poſthaberes.

Non tamen deſeruerat Regnum AUGUSTUS licet abeſſet, cum arctiori vinculo

culo

culo, ipſisqve legibus, nulla vi, nulla pa-ctione perrumpendis, conſtringeretur. Et *Polonia* qvidem anxie *Saxoniam* reſpiciebat, neqve niſi inde ſuarum calamitatum & fu-neſtisſimæ diſcordiæ finem ſperabat expecta-batqve, ut ſuæ ſaluti hoc tantum remedio conſultum crederet, ſi afflictæ & laceræ *Reipublicæ* rurſus præſideret AUGUSTUS. Exoratus civium votis, aut ſuo potius in eos compulſus amore, reddidit ſe benigniſſimus *Princeps* Terris noſtris, ac ſalutarem manum vacuis Regni gubernaculis, iterum admo-vit. Ad famam AUGUSTI adventan-tis, qvaſi ſedibus ſuis moveri exultans *Po-lonia*, & ubi Varſaviæ conſtitiſſet, *Ordines* un-diqve confluere, *Principem* osculo manus ve-nerari, ſua obſeqvia novis ſcitis roborare; *Prin-ceps* omnes admittere, omnes ſuæ clementiæ

E ſic

ſic ſecuros reddere, ut redux AUGUSTUS, olim in Se patratorum, ne qvidem meminerit. Tum demum intelligebamus, qvæ nobis per duram ad vetus Ranſtadium pacem parta felicitas, qvantum AUGUSTUS Regno præſtiterit beneficium, cum cedendo ad tranqvillitatem viam muniret, qvæ in illa hoſtis pervicacia, hoc uno modo reſtitui poterat. Si non aliud extaret Principis meritum, utiqve illo ſolo æternum ſibi Rempublicam obſtrinxiſſet: at memoravimus alia, reſtantqve plura, minora qvidem, ſic tamen comparata, ut ſingularem plane *indulgentiam* perpetuo oſtentent, & omnes admiratione perfundant, fidem aliqvando exceſſura. Credentne Poſteri? fuiſſe olim in Polonia Regem, *Qvi* bellis ſua virtute compoſitis, inteſtinos motus, ſola clementia ſedaverit; *Qvi* cum

civi-

civium plurimi iterum iterumqve fidem labefactassent, neminem fama, bonis, vita multaverit; *Qvi* nulli, modo redire voluerit, ad suam gratiam aditum præcluserit; *Qvi* receptos, omni præteritorum extincta memoria, ad aliorum invidiam beneficiis extulerit; *Qvi* in vindicandis etiam facinoribus humani sangvinis abstinentissimus fuerit; *Qvi* deniqve in summo fastigio, tanta humanitate, tanta moderatione, tanta innocentia egerit, ut si qvid durius Ipso inscio vel invito actum, statim humani generis judicio absolveretur. Ipsi qvi his interfuimus, qvibus freqvens de iis sermo, qvi toties eadem admirati, vix post aliqvot annos nobis persvadebimus, acta hæc fuisse a Principe, aut ab uno Principe fieri potuisse. Vos vero, *Auditores*, ex hac una

virtute AUGUSTI Magnitudinem colligite, ipsiq; dispicite, num una oratio, Eundem Totum complecti valeat, cum sola indulgentia, si per singula celebranda, diffusissimam reqvireret.

A *Te* tamen, *Divine* AUGUSTE, qvamvis recensendo indulgentiam finem statuo, nondum avelli possum, compellandus iterum, anteqvam ex hoc loco descendo, neqve *Te*, in cœlum receptum, in posterum alloqvendi dabitur copia. Duo olim a *Summo Numine* precatus, *Tibi* vitam, mihi otium, ut excelsas tuas virtutes, & immortalia facta enarrarem, *Tuumqve* gravissimum judicium experirer, ac *Tu* gloriæ *Tuæ* vivus interesses. Mihi qvidem otium fuit negatum, qvod patientius ferebam, cum *Te* superstite, liberiorem

sene-

ſenectutem ſperarem, crederemqve non forte, ſed providentia ſingulari ita eveniſſe, ne poſt *Principis* res geſtas, levioribus curis detinerer, verum tanto opere confecto, ſtatim ipſe mortalitatem finirem. At *Te*, *Parens indulgentiſſime*, extincto, omne periit votum, & infeliciſſimo neqve hoc conceſſum, a *Te* aliqvando legi. Non tamen ideo *Tuas* cœleſtes virtutes contemplari, *Tua* facta mecum revolvere, *Tui* memoriam venerari, & ad poſteritatem transmittere deſinam: imo jam in hodierno Conſeſſu, publicum pietatis meæ extare volo monumentum, dum cæteris Tuis titulis, ex humani generis ſententia, OPTIMI cognomen adiicio. Dicaris ex hoc die AUGUSTUS OPTIMUS, qvi fuiſti; hoc vocabulo inter Reges Poloniæ effulgeas Qvos *indulgentia* ſuperaſti omnes; eodem *Suc-*

ceſſores oneres, quibus idem mereri etiam atque etiam enitendum erit; neque alio poſteris & qui poſt longas ætates ex iis naſcentur, innoteſcas, ut *Tua* gloria, qua vivus orbem implevisti, poſt obitum in æternitatem temporum eat proferaturqve.

Tranſeo ad *Vos*, *Patres Conſcripti.* Scio *veſtras* ex *Principis* morte lacrymas, ſcio ſummum *Veſtrum* dolorem, qui ipſas lacrymas repreſſit. Et habetis lamentationis cauſam maximam, quod non Regem ſed verum *Parentem* amiſiſtis. Sub *Illius Majeſtate*, Veſtra *Auctoritas*, quæ toties inceſſitur, & quam conculcarent alii, ſecura ſtetit. *Ille* & veſtras querelas audivit patienter & precibus annuit benigniſſime. Si quæ in Civitatis commoda fieri deberent, conceſſit liberaliter, nihilque

eorum

eorum omiſit, quæ eandem tutiorem florentioremque reddere poſſent, ſed omnia ſollicitius proſpexit. Fuit aliquando tempus, neque vos fugit, ſed Majoribus Veſtris grave, quo ad Magiſtratuum delationes incitabantur malevoli; quo facilis aditus patebat omnibus, qui repetundarum, adminiſtratæ perperam Reipublicæ, aliaque crimina intentare non erubeſcerent; quo Senatus accuſatore promiſcuo ad dicendam cauſam evocabatur; quo mox adverſus plures, mox adverſus ſingulos agendum; & quo neque lites neque judicia, niſi deficientibus actoribus, finiebantur. Ignoravit talia *Auguſti* Regnum. Maluit *Optimus Princeps* concordem, quam foro diſtractam Civitatem, & quoties ad *Ipſum* delatæ criminationes, qua labe Beatiſſimum *EJUS Sæculum* non caruit, *Veſtram* prius audi-

vit

vit innocentiam antequam in *Vos* ſtatueret; imo nunquam in *Vos* ſtatuit, quod *Veſtra* integritas patuit perpetuo. Non inhiavit *Is* Civitatis opibus neque invidit, & quoties conferenda pecunia, quod ſub *Eo* rarius factum, non imperavit *Principis* indoles, ſed temporis neceſſitas exegit. Cur tamen augeo repetendo *Auguſti* Paternum animum, *Veſtrum* luctum, a quo ad Urbis curam revocandi eſtis. *Vos* ſolos enim reſpicit *Patria* ex quo *Rege* ſe carere ſentit. Inſurgite *Patres*, & novo animo, novo robore, Rempublicam capesſite, cum *Veſtris* tantum cervicibus omnis illius ſalus innitatur. Vigilando, conſultando, agendo, laborando, id efficite, ut urbem, quam integram ab AUGUSTO accepiſtis, quam *Ejus* Auſpiciis ſapienter rexiſtis, *Succeſſori* ſervetis incolumem. Proferenda tamen

men & extra pomœrium *Vestra* solicitudo, quod non unius Urbis Senatum, sed simul *Prussiæ Ordinum* insignem partem constituitis. Succurrite afflictæ *Provinciæ*, & non ex uno vulnere ægræ. Resurgat vestra opera, ex Jurium suorum ruinis, & cum antiquum splendorem sperare haud possit, convalescentis ex longo morbo recipiat faciem. Sit inter primas curas *Religionis* nostræ libertas, qua in Terris nil sanctius, nil excellentius, nil humana providentia dignius. Et illius causam Majores Vestri post *Sigismundi Augusti* mortem, interrito animo egerunt perviceruntque, ut inter publicas leges referretur. Servate *Vestra* constantia & animi fortitudine, locum quem olim obtinuit, & per *Vos* in seram posteritatem illibatum derivetur omne illud, quod magno labore, nec minoribus im-

F pensis

pensis impetratum, ad Vos pervenit, & quod vestræ commissum fidei, ut sartum tectumque tradatur aliis.

Tu vero *Deus O. M.* Qui olim Polonam Rempublicam constituisti; Qui *Eandem* inter tot dissidia, turbas, tumultus & funestissima bella, per multa sæcula servasti integram; imo quod invident alii, novis Provinciis auxisti: miserere orbitatis, & destitutam *Rege*, *IPSE* protege & defende. Circumpone undique tuum præsidium, qvo tuta sit ab externa vi; constringe omnium animos, ut unum sentiant, unum velint, illudqve unum ex publica sit salute & utilitate omnium. Perveniat tandem hoc Interregno, ad toties expetita remedia & allevamenta *Prussia* nostra, & reddatur suis juribus, haud alie-

no

no beneficio ſed ſuo ſangvine partis. Non agatur cum *Eadem* per imperia, ſed ut inter populos ſuis legibus viventes fieri, & ratio & pacta jubent. Habeatur ſimul hujus Urbis non poſtrema ratio, neque hoc tempore excidat, Polonum Orbem olim in Eadem ſervatum fuiſſe. Abſit ut alienæ libidini ſerviat, quæ quondam iniquam dominationem magno animo excusſit, ac impune a privatis contemnatur, quæ Summorum Principum favorem promereri didicit. Ut deniqve uno vocabulo futuram felicitatem complectar: *Deus*, redde nobis AUGUSTUM, & cum mortalium nemini AUGUSTUM æquare conceſſum eſt, redde quam *Simillimum!*

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE

Biblioteka Jagiellońska
stdr0024483